

proprie dicto: E. & illi qui dicitur esse apud Deum & per  
conf. qualis significatio est Dei in antecedente, talis erit  
etiam in consequenti propositione, eritq; una & eadem  
Deitas:

#### XLIX.

2. Quicumq; absolute vocatur Deus, & ita quidem  
ut manifesta fiat oppositio ad humanam naturam, is non  
tantum ratione *officij* est Deus, & ita etiam non tropicus  
metaphoricus seu accidentalis, sed *verus* adeoq; Essentialis.  
Atqui Christus hoc loco absolute vocatur Deus & quidem  
ita ut manifesta fiat oppositio ad humanam naturam. E.  
Major probatur: quia ubi fit manifesta oppositio rerum  
duarum inter sese, ibi utiq; res illas sibi invicem contra  
distingvi necesse est, & quidem ita contradistingvi, ut dif-  
ferentia quod Essentialiam (de oppositione quæ ex acciden-  
tibus est non loquimur) diversa pateat: jam vero in perso-  
na Christi ita distingvitur Deus & Homo; si enim tantum  
ratione *officij* Deus & Homo distingveretur, sequeretur hō  
minem homini opponi quod absurdum: non enim dici-  
tur hic homo factus est caro, sed verbum seu Deus (notā  
essentialē differentiam) homo seu caro factus est, (notā  
essentialē oppositionem) Minor fundatur in subsequen-  
tibus verbis, nam expresse dicitur; Deus, seu λόγος qui  
est Deus caro factus est: Hic ita λόγος contra distingvi-  
tur Deitati, ut vel puer judicare possit Essentialē diffe-  
rentiam verbi & humanitatis hīc innui, quod enim λόγος  
in natura non erat, assumpsisse dicitur: huc pertinent illa  
dicta omnia, in quibus Christus expresse & absolute Deus  
Iob. 20. v. 28. Act. 20. v. 28. I. Tim. 3. v. 16. Tit. 2. v. 10. seq. I. Ioh.  
5. v. 20. & Jehova vocatur, quæ vocabula nulli nisi verō  
Deo, qui Deus per naturam est, competunt Exod. 3. v. 5. cap.  
6. v. 3. Esa. 42. v. 8. Psal. 83. v. 17. & 19. Ose. 12. v. 5.

#### IV. MEMBRUM.

##### L.

Restat membrum 4. & ultimū hujus loci, quod creatio-  
nē omniū rerum creatarū filio Dei attribuit, ex quo attri-  
buto